

1978

L  
1823

Dr. De. U.a. 11

Libb. med. H. 16.  
~~H.~~ 16. V.



An 6

DISPV TATIO VIII.  
DE MIRANDA  
HOMINIS IN VTERO  
FORMATI ONE IN ILLVSTRI  
IVLIA ANNO A SALVTIFERO VIRGL  
nis partu M D XC. 5. Non.

Octob.instituta

A

IOHANNE VVERNERO  
*Medicinae D.*

Respondente

Stephano Bachero Antuer  
piensi.



groum 2010.10.001 HELMAESTADII  
Ex officina typographica Iacobi Lucij, Anno  
M D XC.

# CLARISS. ET EXPERIENTISS.

VIRIS, DN. IOACHIMO GAGELMANNO, ET  
ARNOLDO FREITAGIO, Medicinæ DD. Illustriss.

Brunswic. & Lunæburg. Ducum Archiatris, ac  
consiliariis prudentiss.

**N**os viri magni, quibus quantum debeam, decernere facilius possum, quam gratiam pro merito referre (Quod quidem optem si sufficerent vires) tantummodo, quod solum subducta undiq<sup>z</sup> ratione posse videor, gratum vobis animum & benevolentem offero, qui solus in magnis, apud sapientes sat esse solet: Quem una via c<sup>t</sup> ex doctrinæ, studiorumq<sup>z</sup> nostrorum penu, vobis probandi testificandiq<sup>z</sup>, olim cum maturior adoleuerit ætas, plura, maioraq<sup>z</sup> expectaturis. Præcoces hi quidem fructus sunt, sed unde de reliquis venturo post autumno feruenti sole recoltis fructibus indicare potestis: Quales ab arboribus suis diligentes agricola quotannis cum cura decerpere, & anticipare solent, ut inde aliis periculum & gurgustiolum quoddam offerant sui horti. Hoc ipsum ego facere satago, ab hisce Medicea artis primitiis, cui ego me studio, patrui mei cariss. D. ANDREAE BACHERI, collegæ vestri suasu & instinctu olim mancipavi. Quocircum more nostro scholastico, quas priuatim concepi de formatione hominis theses, ad disputandum promulgatas, vobis viris clariss. meiq<sup>z</sup> amanti<sup>z</sup> dedicare, consecrare visum fuit. Et spero fatus humanitate vestra non pro ingrato fore munus. Quandoquidem: Sæpè etiam paruis gratia rebus inest. Quicquid est tamen pondus ab animo meo habet, nec maius nunc quicquam præstare possum, in omni literario hoc censu. Vos me adiuuate viri præstantes, contenti sola de me bene merendi conscientia, & consuetudine pro quibus semper hic meus animus, vobis indole sua & candore constabit, donec ego constabo vita, ut quibus multum debeam, eisdem deinceps plurimum debere gestiam. Valete viri præstantes, & fautores optimi Helmstedij pridie Calendrum Octobris.  
Anno M D XC.

Vestri obseruantiss.

Stephanus Bacherus Antwerp.

## Thesis I.

Citè & eleganter Galenus, Epicuri, aliorumq; placita  
passim destruens, corporis humani structuram, singu-  
lari quadam prouidentia, maximæ opificis ipsius sa-  
pientiæ, ac facilitati cōiuncta, fieri demonstrat: Quæ-  
nam eius sit substantia, qualisq; potentia, id verò du-  
bius ignorat.

II.  
Nos verò faustissimo matris Ecclesiae sinu excepti profitemur:  
Naturam Dei opificis ministram almo Dei verbo ac voluntati cle-  
menti, sua ita obire munia, ac iustas capessere vices.

## III.

Sic eadem nutu eodem stipata ac stimulata, semper se in me-  
lius vertere, ac ad perfectionem perfectissimam, æternumq; dura-  
turam accedere annititur: fragilis tamen materiae infirmitate ex-  
cepta, maiora petit, audetq; viribus: Continuus quippe est rerum  
caducarum interitus.

## IV.

Quod ergo singularum in natura rerum incolumenti, ac per-  
fectioni durabili denegatum fuit, speciei propagatione recompen-  
sare, seq; alicui perpetuitati asserere pro viribus tentauit.

## V.

Hinc illæ <sup>natura</sup> turgida ardentes flammæ: Hinc illa mundanæ per-  
petuitatis principia prouenère.

## VI.

Hæc procreationis humanæ (de ea enim hic tantum) princi-  
pia, vel sunt prima, vel à primis orta.

## VII.

Quorum illa remotiora, hæc propinquiora.

## VIII.

Principia prima sunt mas & fæmina, mutuo complexum u-  
tua conferentes symbola.

## IX.

A primis orta principia, sunt efficientia simul & materialia.

A 2. vii. 1600. Principia.

X.

Principia hæc efficientia ac materialia, vel sunt fortiora, vel  
debiliora.

XI.

Efficiens fortius semen est: Debilius sanguis maternus.

XII.

Materiale fortius seu molis maioris, est sanguis maternus: De-  
bilius est semen utriusq; sexus.

XIII.

Est vero semen humor albus, è sanguine & spiritu à partiibus  
corporis per vasas spermatica ad testes delato, coctus.

XIV.

Testibus ergo semen gigni, ac generationem perfici profitemur.

XV.

Vt ne utramque vera sit Aristotelis sententia: Testes esse veluti  
plagas quasdam è telis à textoribus appensas, ne seminaria vasa in  
se concidant, aut distorqueantur, sed via ad seminis eiaculationem  
promptæ patulæq; maneant.

XVI.

In semine hoc ab utroq; parente profluente, duplex quasi por-  
tio est, una spirituosa, altera humorosa.

XVII.

Spirituosa est vitalis spiritus à corde per arterias in uniuersum  
corpus diffusus, motus ipsius quasi principium facultatis gene-  
rantis organum.

XVIII.

Hoc Hippocraticum illud est ab omni humido secretum ut re-  
busitissimum.

XIX.

Hic vitalis spiritus unà cum semine paterno immisus primùm  
beneficio spiritus vitalis materni in coitu emissi conseruatur. Post  
verò spiritu à corde matris suppeditato, Corde vero ipsius fatus for-  
mato, vitali fatus spiritu fouetur.

XX.

Portio humorosa est pinguisimum illud sanguineum alimen-  
tum,

rum, ut utroq; modo semen consideratum à toto procedat, à toto  
quippe sanguis & spiritus. XXI.

Hoc ergo semen in uterum immisum insita eius facultare ac  
vitalorifica ad opus excitatur, quæ uteri actio, concepcionis dici solet.  
XXII.

Sanguis maternus est excrementum utile sanguineum à calo-  
refeminæ debili genitum.

XXIII.

Vbi affirmamus membra è sanguine generata, corruptaq; fa-  
cile regenerari, quod largam habeant generationis materiam, è se-  
mine verò aut nūquam aut difficuler: Quanquam efficiens causa  
minimè absit: neq; enim natura reliquit animal, nec obliterata est vi-  
rium insitarum. XXIV.

Est porrò in semine ac sanguine materno vis generatrix al-  
teratricem & formatricem complexa: De quarum illa ut proba-  
bilia Gal. alijq; excogitarunt, sic de hac prorsus dubitarunt.

XXV.

Nos θλαστικό seu φυτικό hanc dñi uau diuinam illam  
potestatem ac benedictionem efficacissimo verbo (crescite & mul-  
tiplicamini) expressam, ipsiq; semini inditam esse putamus.

XXVI.

Alteratrix facultas est seminis virilis ac muliebris potentia  
per quam partes eius mutantur.

XXVII.

Huius instrumentaria causa, vel communis est, vel propria.

XXVIII.

Communis est cordis calor influens, qui dum ad fatus partes  
accedit, primam alterationem primis sex diebus inducit.

XXIX.

Causa determinata, ipsam alimenti alterari assimilationē post  
6 dierum spatium sanguine materno iam accedente, inuehit.

XXX.

Hic tale erit instrumentum facultatis alteratricis, quale mu-

A 3

tatæ

tate partis temperamentum est: Quia vero temperamentum mutatae partis pro partium varietate varium est: Aliud quippe temperamentum cerebris, aliud cordis, Epatis, ossis, aliud aliarum partium, varium quoque instrumentum erit.

XXXI.

Est igitur pro parte determinata, vel qualitas prima, vel secunda.

XXXII.

Qualitas prima, calidum, frigidum, humidum, siccum.

XXXIII.

Formatrix facultas idem habet subiectum informatum, quod prius fuit alteratum: Alteratur autem viriusque sexus semen & sanguis maternus, hinc & formas recipiunt. Hac vel introducit formas imperfectiorum graduum, mixti videlicet, similaris, dissimilares, viuentis, vel ipsam animam sensitivam & rationalem.

XXXIV.

Verum quia facultas haec formatrix, ad finem operis obtinendum conuenienti operationis modo nititur, hicque ipse temporis cognitione acquiritur, formationis tempora prius proponemus.

XXXV.

Hae quatuor sunt Hippocrati ac Gal. 1. ubi quod in utero est non dicitur, επω νύντα ad sextum diem circiter seminis specie præpollente. 2. Vbi caro ipsa representatur, hoc νύντα Hippoc. 3. Vbi tria principia delineata, aliarumque partium designatio, atque adumbratio facta est, Hippocr. επω. 4. Quando omnium membrorum articulatione facta, motus incipit, προσθια Hipp. Quæ figuratio in famella secundum Hipp. 42. die, in masculo 30 circiter contingit.

XXXVI.

Formantur ergo primis 6 diebus membranae, epatis, cordis & cerebri vesiculae, umbilicus, venae & arteriae.

XXXVII.

Membranae à calore crassiores viscosioresque seminis partes indurante ac dilatante genite tres sunt: χωρίον secundina ad ardentias farcinalis, αφυγόν agnina.

χωρίον

XXXVIII.

$\chi\omega\varphi\iota\omega$  est membrana tenuis, duplicata exterius fætum à mucronata pectoris cartilagine ad ilium usq; circumdans, uterum fætumq; custodiens.

XXXIX.

Hæc externa superficie uteri subjicitur partibus, ad quas venarum, arteriarumq; perueniunt orificia, ut per ea sanguis maternus, fætus nutrimentum transmittatur.

XL.

$\alpha\lambda\alpha\tau\omega\delta\delta\eta\varsigma$  est inuolucrum è vasis à  $\chi\omega\epsilon\jmath\omega$  acceptis compositum, longum, in ambo uteri cornua suspensum, versus vesicā perforatum, externa superficie amnio incumbens, fætusq; urinam recipiens.

XL I.

$\alpha\mu\pi\iota\varsigma$  est membrana reliquis crassior, secundum superficiem externam,  $\alpha\lambda\alpha\tau\omega\delta\delta\eta\varsigma$ , secundum internam toti fætui unita, sudorem continens, & ad artuum motus retinens.

XL II.

Hicce alij membranam quartam addunt, inuolucrum videlicet, è substantia lutosa genitum, Indusium illis vocatum, aliquando cum fætu egrediens, aliquando intus manens.

XL III.

Hicce membranis generatis ipsa fætus cutis veluti tegmen nascitur.

XL IIII.

De ordine conformatio[n]is membrorum principalium quamuis ingens Philosophorum & Medicorum sit contentio: Nos tamē cum Galeno celerrimam Epar è sanguine generationem obtainere pronunciamus, huic cordis, huic cerebri, huic aliorum formationem subiçimus, generationis hic non gubernationis spectantes principia.

XL V.

Dum ita fætus partes delineantur, sanguis cum venosus tum arteriosus ad uterum per certa vasa deducitur.

XL VI.

Sanguis hic, quo fætus nutritur & augetur purissimus est, minime

nime venenatus, qui in Epar infantis tractus, melius coquitur, & per totum corpus diffunditur: Per epar enim non per os infans nutritur.

XLVII.

Vasa hæc, per quæ alimentum trahit infans, sunt una vena & duæ arteriæ, quarum illa à caudice venæ portæ, quam primum à iecoris cauitate prodiit: Arteriæ vero ab arteria magna lumbos træsuntur, longissimeq; in homine duabus membranis inuolutæ visuntur.

XLVIII.

Tractione ergo retentione, coctione, & expulsione, fætus fit generatio & nutritio.

XLIX.

Sanguis enim per venam umbilicalem attractus, ad portæ fertur truncum, hic eundem tradit iecori, hinc vena caua puriorem partem prolicit, & in totum corpus distribuit: Crassior ad lienem tenuior ad fellis nūtr. ablegatur: Impurissimus per venas mesaracas ad intestina defertur.

L.

Sic ergo fætus maturior tandem factus, plenius desiderat alimento, locorum vero angustia pressus calcitrando membranas rumpit, itaq; uteris facultate expultrice insurgente, fætuq; ad exitū vergente partus fit.

LI.

Vt manifestum sit mutationes præcipuas tres fætibus obtingere: Formationem videlicet, motum, & partum. Quarum haec solent constitui proportiones, ut tempus motus, ad tempus formationis duplum sit: Tempus partus ad tempus motus triplum, Partus quare tempus à formationis pendet tempore: Hoc vero variū est, (Nam Hippoc. lib. de alim. teste, nunc dies sunt 30, nunc 35, nunc 45, nunc 50) varij ergo partus humani sunt termini.

LII.

Quam sane rationem Hipp., eodem libro init, dum eos qui 35. diebus figurantur, 70 moueri, 210 edi tradidit: Et ita de reliquis. verum haec proportionis ratio, minimè ex euentu firma rataq; est.

LIII.

Coniungenda quare prioribus, maior minorve celi clementia, unde breuior, tardiorve partus partus sit terminus.

F I N I S.

78L 1823

ULB Halle  
004 592 395

3



f

56.





**Farbkarte #13**

B.I.G.  
at  
er  
ic  
ei  
a  
ro  
e  
lu  
m  
ra  
ra  
I  
C  
E  
C  
e  
C  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Centimetres  
Inches



DISPVATATIO VIII.  
**DE MIRANDA**  
HOMINIS IN VTERO  
FORMATIONE IN ILLVSTRI  
IVLIA ANNO A SALVTIFERO VIRGI-  
nis partu M D XC. 5. Non.

Octob.instituta

A

*IOHANNE VVERNERO*  
*Medicina D.*

Respondente

Stephano Bachero Antuer-  
piensi.



*HELMAESTADII*  
*Ex officina typographica Iacobi Lucij, Anno*  
*M D XC.*